





~~D. X. 92.~~

U. 68 (4.)

H. E. U. 68.

Emb. 11. 2. 6


Table des Ouvrages contenus  
Dans ce Volume.


---

1. Lanson. (J. A.) Eloge historique de l'université de Paris, latin, français, et avec des remarques discours prononcé aux écoles de médecine le 11 juillet 1770.
2. Guérin. F. No. Mandatum ob recens natum Sereniss. Burgundiae Ducem.
3. Le Bel. (M. T.) Mandatum rectoris
4. Mandatum rectoris
5. Le Bel. (M. T.) Mandatum rectoris
6. us Mandatum rectoris
7. Hamelin. (P.) Mandatum rectoris.
8. us Mandatum rectoris
9. us Mandatum rectoris
10. Jacquin. (S.) Mandatum rectoris
11. us Mandatum rectoris
12. us Mandatum rectoris
13. Coyer (F. M.) Mandatum rectoris ob dilatam Scholarum instauracionem.
14. Guérin (F. No.) Mandatum rectoris
15. us Mandatum rectoris
16. us Mandatum rectoris
17. us Mandatum rectoris pro consecratione regis
18. Douyad (Joan.) Panegyricus Ludovici Magni obres hoc anno regni XLI præclare gestas.
19. Boucher (P.) Panegyricus Augustiss. Delphino dictus Intetiae Parisiorum in collegio Claromontano Ann. 1662.
20. Schoepfelinus (Jo. D.) Panegyricus Ludovico XY.
21. Crevier J. B. L. Oratio in restitutam regis Academiam habita in instauracione Scholarum Collegii Romano-Bellovaci. 1744.
22. Le Roy. (Chr.) Divi caroli magni, regis Francorum et Occidentalium imperatoris laudatio

23. Geoffroy (J. B.) *De amore Patriae oratio.*
24. Petit (Ludov.) *Oratio de iis quae ad eloquentiam, tam Sacri, tam profani codicem conferunt, praesidio habita a —*
25. Favillier (J.) *Ludovico victori moderato oratio.*
26. (Manque)
27. Geoffroy (J. B.) *Ex bello quod anno proxime clauso gestum est gerendi hoc anno bello quale omen respeti possit Oratio.*
28. De Palmeus Par Estampe iconologique en forme de Medaille, dont le type represente le et fils Des interessement dessine et grave par J. J. Pasquier avec la description de cette estampe
29. Leroy (Chr.) *Quantum litteris de beat virtut oratio.*
- 29<sup>bis</sup> id *Quo potissimum in instituendis pueris sublevari possit magistrorum labor. Oratio.*
30. Geoffroy (J. B.) *Augustis parentibus Delphino et Delphinae gratulatio.*
31. (Manque)
32. Moltor (Ant.) *Oratio habita in instauracione Scholarum collegii Dorman. Bellovaci.*
33. Geoffroy (J. B.) *Quo loco inter cives vir litteratus habendus sit oratio.*
34. Le Beau (J. L.) *De pace oratio gratulatoria.*
35. Moltor (Ant.) *Oratio funebris Mariae Polonorum regis filiae, Gallorum reginæ.*
36. Xaupi (Joseph.) *Discours Latin prononcé par l'officiant à la procession du recteur de l'université, dans l'Eglise de l'Abbaye royale de St Antoine avec sa traduction.*
37. Sacquin (Et.) *Discours prononcé le jour de la procession de l'université, à l'occasion de la Profession de Madame Louise Marie de France (Latin-français)*
38. Xaupi (Jos.) *Compliment fait par au nom de la Compagnie à Mr de La Roche-aymond au sujet de la nomination à la faute des bénéfices 1771.*
- 38<sup>bis</sup> Guerin (P. N.) *Mandatum rectoris. Praemium eloquentiae latineæ*

- 39 Mauduit (F) Utrum vulgo plebeiorum liberos humanioribus litteris excoli oporteat Oratio.
- 40 Pauvilliers (J. F) Ludovico XV regi Galliarum dilectissimo Laudatio funebris
- 41 Ad supremum Senatum gratulatio post redditum habita universitatis nomine
42. Walter (Ant) Oratio habita in instaurazione Scholarum collegii Dornano-Bellavacc









30

AUGUSTIS PARENTIBUS  
DELPHINO ET DELPHINÆ  
GRATULATIO,  
HABITA  
IN REGIO LUDOVICI MAGNI COLLEGIO,  
SOCIETATIS JESU.

*Die Mercurii vigesimâ-quartâ mensis Novembris, an. Domini 1751.*  
à JOANNE-BAPTISTA GEOFFROY, ejusdem  
Societatis Sacerdote.



P A R I S I I S,  
Ex Typographiâ THIBOUST, REGIS Typographi,  
in Plateâ Cameracensi.

---

M. D C C L I.

CUM PERMISSU ET APPROBATIONE.

SIMONIS DE  
LAURENTIUS

LIUDEO LIPSIENSIS MONASTERI COMPLETIO

1520. C. 1520.

IN LIBRIS MONASTERICIS

EX LIBRIS MONASTERII S. BENEDICTI

1520. C. 1520.

IN LIBRIS MONASTERICIS

EX LIBRIS MONASTERII S. BENEDICTI

1520. C. 1520.

IN LIBRIS MONASTERICIS


EX LIBRIS MONASTERII S. BENEDICTI

1520. C. 1520.


IN LIBRIS MONASTERICIS

EX LIBRIS MONASTERII S. BENEDICTI

1520. C. 1520.



AUGUSTIS PARENTIBUS  
DELPHINO ET DELPHINÆ  
*GRATULATIO.*



ELICITATIS REGIÆ ac publicæ  
pignore in lucem feliciter edito, quæ po-  
terat res jucundissima contingere; illam  
deinùm paucis abhinc elapsis diebus hæc  
sibi gratulata est Civitas; EXCELLENTIS-  
SIME SEDIS APOSTOLICÆ NUNCIE, ILLUSTRISSIMI  
ECCLESIÆ PRINCIPES, PRÆSIDES ILLUSTRISSIMI,  
AMPLISSIMI SENATORES, CÆTERIQUE OMNIUM OR-  
DINUM AUDITORES ORNATISSIMI. Habuerat nostra,  
quod summa omnis habere solet lætitia, quæ, quò vi-  
vidius accensa est, eò citius non frigescit quidem aut ex-

A

tinguitur, sed remittit se aliquantulum, elanguet sensim, & usu ipso defervescit. Excitanda rursus hæc fuit Augustorum Conjugum aspectu, omnem ut recuperaret, quam solam amiserat alacritatem, & felicitas quædam esse debuit nova, felicitatis Autiores intueri.

Regiam Urbem subiere Regales Hospites; quali autem consilio? Religionis pleno, quod jussusat pietas, non ambitione suaserat, Deo præstituri obsequia, non recepturi à populis: quali apparatu? nobili at modesto, quem adornaverat dignitas ad reverentiam, non ad imperium superbia descripserat; exiguo comitatu hominum, virtutum maximo. Primarium Urbis templum ingressi, permansere antè aras diù; quali habitu? demisso & inclinato, quem juberet Majestas æterna, humana deberet; ex quo intelligeretur Cœli Deus, Dii Terræ non agnoscerentur.

Neque tamen quibus subducere se voluerant, carere honoribus omnino potuerunt; ad vias regalibus vestigiis consignandas properavit Plebs videndi cupidissima, ut videri dignissimos intueretur. Et verò intuita est, cum admiratione summâ quam summis virtutibus Par augustum Conjugum promeretur; cum effusa forte minus in clamores & plausus quia minus jam novâ, sed æquè vividâ studiis & affectibus lætitia, quam toti Regno fecit totius in Regni spem editus Puer. Faustissimi ejus natales, jam antè quidem, inter genialis apparatus ac pompæ, quâ splendidior nunquam fuit, spectacula in his ædibus celebrati sunt! Festis flamarum ordinibus stellati fulsere parietes;

vocum atque fidium concentibus emota resonuere tecta;  
 suos augusto Infant Poësis ingeniosa modos iteravit ac  
 numeros suas \* Eloquentia præceps & accurata deproperavit  
 opes & blanditias, suum Artes omnes ac Musæ pendere  
 vectigal elegantiarum; suum Virtutes ac Religio vectigal  
 votorum; suum mentes & animi vectigal affectuum; variis  
 Amor idem sese ubique exeruit ludis, probavit operibus,  
 monumentis consignavit.


Tot postquam conticuere voces, vocem quoque meam  
 ut proferrem, cùm altè defixus animo publicæ felicitatis  
 sensus; tum lætitiae propriæ alacritas, & privata quædam  
 Patriæ ratio me impulit, natum in eâ videlicet Provincia,  
 quæ augusto Puello nomen cùm posuerit, sui civis glo-  
 riantem nomine Oratorem, sua inter gaudia mutum esse  
 diutiùs haud sponte pateretur. His excitatus studiis meis,  
 alienisque ductus exemplis, ire demùm ad Regales cunas  
 non verebor; atque in his decumbentia cum Puello uno  
 non unius Regni fata contemplatus, Augustis Conjugibus  
 gratulabor impertitum ab eis munus,

Quod ad Regiæ Familiæ felicitatem deerat unum,

Quod unum satis est ad felicitatem totius Imperii.

Quæ duo, bipartitâ oratione, dum evolvenda suscipio,  
 peto illud à vobis, Auditores, ut indulgentiam quâ in-  
 digeo, felicitati, quam gratulor, parém concedatis.

\* Oratoris Collega SERENISSIMI BURGUNDIAE DUCIS ortum recentem  
 Oratione publicâ celebraverat.



## P R I M A P A R S.

**C**ONJUGUM nomen quibus Hymenæus fecit, nomen Parentum si faciat edita in lucem proles inascula; habetur ejus ortus inter hæc eventa, quibus familiarium sors omnis continetur. Alia soboles recipitur cum gaudio quidem, sed anxiō ac sollicito, quod non tam enata ex præsenti munere lætitia, quam injecta spes alterius excitat. Auroram dixeris, cuius est rutilare, fulgere non est; præcurrere diem, non spargere; morari intuitus suavitate lucis, non adimplere ubertate luminis; solem ad promittere, sed suum ab hujus accessu sideris splendorem mutuari, neque illud nisi per sua quodammodo munera nunciare.

Quæ solem inter populos exorientem, eadem propè nascentem in Principe Familiâ hæredem lætitia excipit. Convertuntur ad illum Gentis totius studia, in quo totius Gentis fata posita esse intelliguntur. Exultat Pater ad aspectum Filii, à quo consequitur, non solum ut sit Pater, sed ut esse non nisi admodùm serò desinat. Intendant oculos in ætates venturas evolvit se Nepotum series, quæ illas nominis sui celebritate consignet singulas, & omnes ipsâ ejus perennitate quâdam adimpleat. Videt stirpem suam hoc rursùs fæcundatam surculo, dividere se in propagines

varias , germinare in fructus innumeros , perque tot sacerdorum orbes ire à Parente diffusam , per quot ad Parentem deducta est . Gentis antiquæ hæredem se propè oblitus , se quasi novæ caput intuetur , cuius authorem à semetipso alterum habet in filio ; & quā die suscepit hæredem , æternitatis cuiusdam conjecturam capit . Arridet Puello Mater , & proprii , quod sibi Hymenæus abstulit , nominis jacturam , assertâ per suum hunc partum Conjugis nomini diuturnitate pensatam abundè ac redemptam existimat .

Habet hæc lætitia locum , etiam ubi locus fortunæ nullus est : positus in conditione humili & angustâ Civis , tenuitatis suæ , suique infortunii obliviscitur , statim atque sibi hæredem gratulari potest ; & nascente filio , miseriarum sensum spontè abjicit , cui sæpè miseriarum cumulus est , quòd naescatur filius .

Quod si hæredem sibi non deesse tanti ducunt hi etiam quibus vix quidquam hæreditatis est , quanti erat illo ut non careret augustissima toto terrarum Orbe Familia , quæ quidquid commendationis affert antiquitas , quidquid admirationis habet celebritas , quæcumque jura dominatūs amplitudo colligit , quoscumque titulos meritorum copia complectitur ; illud omne ab elapsis ætatibus intactum recepit , adauctum transmisit sequentibus , & Majorum laudibus inchoatum Nepotum virtutibus cumulavit .

Antiquitatem dico splendoris : cedo enim Familiam hac ipsâ pluribus ætatibus nobilitatam ; quæ duodecim jam indè à sacerulis exorsa , esse vix incepit priùs quam regnaret ,

regnare non destitit ex quo incepit esse ; quæ enixa semper , numquam exhausta , penè tot Heroum mater fuit quot Principum ; & postquam Parentes habuisset quos à Nepotibus adæquandos esse non crederet , Nepotes peperit quos ipsis Parentibus invidendos esse fateretur . Visæ sunt Stirpes aliæ Regales titubare cum soliis quibus inhærebant : hæc stetit . Adulteratæ propagine degeneri livorem duxere & squallorem : hæc floruit . Debilitatæ ramorum multitudine & inimicitiâ emarcuere aliquandò & defecere ; hæc pullulavit . Vidiuatæ fœtu adoptivos surculos recepere ; hæc dedit . At , puto , in hanc , ut in alias , non sæviit vis tempestatum ? imò atrocius : inclinatae sunt , hæc firmata . Ad hanc , veluti ad reliquas , ferrum atque ignem non admovit inimicus furor ? Imò proprius : resectæ sunt , & ambustæ , intacta hæc & inoffensa . Contrà illam , sicuti contrà cæteras , non structæ sunt arcanæ molitiones ? imò insidiosius : cedere , permansit . Permansit autem non alienâ ope , sed vi propriâ ; non inflestanto seipsum , & cedendo ventis , sed illorum frangendo impetus ; non damno aliquot partium , sed cum singularum incremento ; ut cùm detonarent procellosi spiritus , cùm rutilarent tempestatum ignes , cùm Orbis conjuratus in hanc omnis rueret , staret hæc una in orbe omni , vigeret , germinaret , radice permearet terram , floreret vertice & dominaretur .

Celebritatem dico gloriæ : cedo ullum laudis genus quod illi defuerit : quaquà patet Orbis , nomen ejus Fama subvenxit præconiis , Victoria insignivit triumphis , subacta In-

vidia coluit obsequiis , Barbaries emollita fovit studiis , Gloria Heroum nominibus adjunxit , Religio Sanctorum fastis inscripsit ; ut Gens eadem terris ac cœlo donata , decorum excelsitate superaverit id quod humanum est , facinorum magnitudine adæquaverit id quod heroicum est , Imperii majestate collegerit id quod regium est ; id etiam quod divinum est virtutum immensitate attigerit .

Dominatûs dico amplitudinem : cedo Gentem ullam cui aliae plures obsecutæ sint ? Reges ab illâ procreatōs sibi gratulata est Hispania ; ab illâ oriundos Italia & Sicilia venerantur ; ab illâ Cæsares accepit Germania , Regio plurima Principes , Europa omnis Arbitros ; Galliam fortunat legibus , Americam permeavit navibus , Asiam tremefecit armis , Orbem utrumque junxit commerciis ; Reges dedit ubi non regnavit ; reverentiam obtinuit ubi non exercuit Imperium ; subditos fermè habet ubicumquè homines Natura ; ut quod de Romanâ Gente dictum est dici de illâ debeat , *nil nisi BORBONIUM quod tueatur* , habere ; & quocumquè spectet , seipsam sibi esse ad spectaculum .

Titulorum dico multitudinem : faceant verò illa ostentationis plena & invidiæ nomina , quæ suis aliquor heroibus ad perennem rerum ab ipsis gestarum commendationem imponebat Roma , ut quæ hæredum pravitate descivissent in Republicâ Familiæ , Majorum revocatâ famâ se quodmmodo repararent , essetque Avorum gloria recordatio appellatus ab illorum cognomento Nepos etiam ab illorum virtute degener .... Qui mos si ajud

nos vigeret , opinor , cognomentis ejusmodi careret BOR-BONIA GENS ? Cui suam appellationem pacata vel domita Germania , suam subacta toties Batavia , suam victa non semel Anglia , suam Europa sæpiùs composita , suam Plaga omnis vel lustrata victoriis , vel beneficiis devincta imponebat ? Harum verò appellationum in locum , nomen posuit Sanctitas verendum cœlo , nomen Justitia horrendum fraudibus , nomen Magnanimitas timendum hostibus , nomen Amor ipse adorandum populis ; ut omnis Virtus suum toties appellatum audiat ; quoties BORBONIUM appellatur.

Jam quæro à vobis , Auditores , num in hac ætate nostrâ pristini aliquid splendoris deperditum fuerit ? in qua videlicet tantum accessit novi , ut Gens æqualis usque sibi & idcirco adæquanda nulli , quantum commendationis ab Avis recepit , tantum refundere in Nepotes valeat.

Vidistis , Atavi , solium , cui natum hæredem gratulamur , ita verendum Religione , ita innixum æquitate , ita propter sapientiam celebratum , ut ab illo , veluti ab Olymbo , in subjecta Errorum ac Vitiorum monstra fulmen sæpè detonaret ; ut ad illud , quasi ad Tribunal publicum , revoarentur non semel & componerentur Regnantum jurgia ; ut de illo , tanquam de Adyti , ad Populos oracula dicarentur. At nos præterea vidimus circa idem solium , quidquid bellicæ laudis est congestum à Victoriâ , quidquid regiæ dignitatis est collectum à Majestate , quidquid humani decoris est à Potentiâ ipsâ defixum : intentam in illud

illud expectatione & admiratione Europam , & in quod arma infesta moverat , ab illo pacis emolumenta referentem.

Vidistis Galliam his impetitam odiis quæ Livor accenderet , his laceffitam armis quæ acueret Furor , his demùm ultam cladibus quas uterque mereretur , & ex quibus neuter , nisi serò , resipisceret. Illud nos etiam ; at præterea Victoriam vidimus dicti olim BORBONIDIS Sacramenti tam religiosè memorem , ut nobis simul inter Alpium nives & faxa lauros procrearet , simul inter Eridani ac Tiberis undas Lilia defigeret , simul inter Scaldis ac Rheni fluenta Signa nostra ostentaret ; passim vocatis ad certamen adesset passim ad triumphos ; neque se vel desiderari absentem , vel morantem increpari pateretur.

Vidistis Reges pacem elargientes Gentibus , sed attritis & domitis ; tuncque tantùm abstinentes à vincendo , cùm propè nihil occurreret quod vinceretur. Illud nos non equidem ; sed Regem ipsum vidimus , ipsum , Auditores , Regem in acie medium , militiæ rudimenta auspicantem à triumphis , ruentem in pugnas cum eâ audaciâ , quæ milites non minùs quàm hostes terroreret ; eâ deinde utentem clementiâ quæ hostes non minùs quàm milites reficeret ; bellorum nulla declinantem pericula , victiorum nihil retinentem pacifica præter arbitria ; illa verò sic exercentem , ut penè magis profuerit Æmulis vinci , quàm sibimetipsi vincere ; atque Europæ innotesceret , quàm fuisset ejus victor invitus , qui se illi vel invitæ pacatorem dabat.

Jam verò in hac tot bonorum congerie , quid Regali

Familiæ ad felicitatem desiderandum videbatur ! Aliquid  
 hac felicitate majus , Auditores ; & quo deficiente ipsa ver-  
 teretur in infortunium ; hæres nempè qui hanc reciperet  
 integrum , & perennem faceret. Deeras , Auguste Infans ,  
 & quanti esset quòd deeras , indicaverunt satis fausta illa  
 murmura , quibus ad primos vagitus tuos undequaquè res-  
 ponsatum est. Spondâ ex auratâ hiantes ocellos dùm de-  
 ducis per tot Insignia quæ nondùm intelligis , sed cum  
 alacritate ex quâ jam intelligeris , arridet , credo equidem ,  
 Spectatori ad omne laudum genus nato , conflatum ex  
 omni illarum genere spectaculum. Insonat auribus tuis  
 nomen geminum , Paternum quod facis , Regale ad quod  
 nasceris , & in utroque hoc nomine quidquid famæ ac  
 virtutis est , auditur te , de te audiendum aliquando. Proh !

Quàm non eâdem sorte ac Avus tuus vitam auspicaris !  
 Orbem ille non ingressus est , nisi per suæ propè totius  
 Gentis funera ; tu in summâ illius felicitate , felicitatis  
 novum pignus atque vinculum nasceris. Paterno & avito  
 feretro innixa ejus cunabula , funereis frondibus operta  
 sunt , & atratis fasciis revincti artus pueriles ; avita inter  
 & paterna trophæa cunæ positæ sunt tibi , lauris virenti-  
 bus lactea frons redimita est , & ipsâ Victoriæ manu ductæ  
 tenella per membra rutilantes vittæ ; ille Patre priùs or-  
 batus quàm sciret sibi esse Patrem , hunc vixisse audiit  
 ante quàm seipsum vivere intelligeret ; Patrem tu dulcè  
 renidentem risu jam salutare incipis & agnoscere. Avus  
 cinctum umbris feralibus caput collabentis inter Domûs  
 Augustæ ruinas ægrè protulit , & in ipsâ mortis ubique

obviæ imagine multiplici vitam exorsus est ; tu regnantis inter Domûs conspicua passim Insignia frontem exeris luce purâ circumfusam , & vitale solis lumen non citius , quam triumphale Gentis decus percipis.

Gratulare tibi , LUDOVICE , quod natus sit , qui solio quod occupas obrepas Infans regius , sceptro quod tenes obludat tractator mollis , noīnen quod veretur Europa recipiat hæres non degener , Populi votis assuescat æmulator beneficus , spes quas jam facit sponsor verax adimplere citò incipiat . Gratulare hunc natum eo tempore , in quo gloriæ fastigium assecutus , optandum nihil habebas præter hæredem novum , & interpositâ brevimorâ optatum obtines . Quis tibi sensus , cum renunciatum est de fortunato partu , qui expectationem tuam præcurreret , celeritate quæ fidem superabat , & concessâ quam expe- tebas prole cumularet ! num detinuit \* locorum distantia ? Quæ brevis erat quidem , sed quæ ad læta eunti maxima cum videri deberet , ita in minimam contracta est advolantis alacritate , ut vix abfuisse crederent , qui adventantem cernebant . Num deterruit noctis fæditas ? Noctem dico ! quæ novello sidere illustrata , visa est die liquidissimo purior ? Num curruum apianorum cura retardavit ? Ut in eum , qui obvius erat , insiluisti præceps ! ut ad pueriles cunas properantem secuti sunt Proceres cum eo ardore , penè dixi , cum eo impetu , quo triumphales ad

\* Tunc cum nasceretur Serenissimus Burgundiæ Dux , Erat Rex , non procul tamen , in aliâ domo Regiâ .

pugnas sequi solebant ! ut obliti conditionis suæ , tuæ felicitatis memores , famulorum locum certatim occupavere ad rhedam , & Principi ire dignanti regaliter , propè serviliter adesse gloriati sunt ! Ut Populi aurata per laquearia strepentis ac tumultuantis undam , eâ quidem circumfusus humanitate quæ tibi omnium devincit animos , sed eâ subiectus , quæ animum tuum impleverat , lætitiâ transiisti statim , videns propè neminem , visus propè à nemine ! Ut accurrenti obviam DELPHINO ne brevis quidem osculi moram elargitus , properasti ad Puelli cunas , & sic Avum te ostendisti , ut Patrem penè non ostenderes ! Ut in Infante spectando parùm moratus , recurristi ad Populum , quasi ferendæ tantæ lætitiae non sufficeres , nisi tuæ in partem venirent , qui suæ sub pondere propè laborabant ; vel potius ut tibi hæredem alterum gratulantibus , illis ipse gratulareris patrem alterum ; neque felicem te , Nepote nascente , profitereris , nisi quia nascebatur felicitatis assertor publicæ .


Sed Regem an ità omnis invasit lætitia , pars ut ejus nulla delibandam se daret Reginæ , quæ & ipsa fecilitatis nostræ pars est optima ! Ah ! mihi si liceret verendæ Animæ sensus scrutari intimos ! ut spontè vobis illam exhiberem , ut vos illam spontè intueremini , affusam antè aras , quibus advolvitur sæpius quām folio infidet ; vota emittentem Deo , non prò se , quæ summam illorum attigit , sed pro SERENISSIMA DELPHINA cuius felicitati studet maximè , inhæret amanter , maternè invigilat ! videretis illam , audito , qui feliciter obvenerat partu ,

demittentem sese nudâ in humum fronte , toto fusam  
corpo , grates agentem supremo Numini , quòd Proles  
edita esset sine labore & periculo , deinde quòd mascula  
pro spe & expectatione Gentis ; mox properantem ad Pue-  
rum cum eâ gaudiorum quasi impotentia , ex quâ matrem  
iterùm hanc factam esse judicaretis ; à Puero ad aras re-  
versam statim , & sic orantem cum Plebe , ut non nisi  
ex pietate Reginam agnosceretis.

Te verò , SERENISSIME DELPHINE , itane primo vix  
audito regalis Pueri vagitu excitatum & raptum , his  
propè laborasse effusis Gaudiis , quæ te obvium sisterent  
singulis , distraherent à teipso ; tui copiam facerent om-  
nibus , tui curam vix relinquerent tibi ? Ità profectò ; &  
decuit in Parente Populi altero , non esse privatæ lætitiae  
modum , quo tempore publica nascebatur . Decuit te dig-  
nitatis oblitum , naturæ consciū , in his non immorari  
quæ referrent Principem , stare in his quæ Patrem indi-  
carent ; decuit tui te fermè nescium videri in hac alacritate  
primâ , quæ sui compotem esse nostrûm propè neminem  
passa est : gratulare tibi , quòd ter Genitor jam sis in eâ  
ætate factus , in quâ vix aliquis Principum semel est in  
Europâ . Obsequia quæ impendis Filius , ut dulce erit re-  
pensa tibi à Filio recipere : colliges apud illum penè Rex ,  
quidquid exolvis Regi : Imperium vereris subditus , exerce-  
bis Pater ; & quod à te natura atque conditio reposcunt ,  
illud omne utraque tibi vendicar .

Te autem , Mater Faustissima , num præterire pars ali-

qua debuit hujus l<sup>a</sup>titiæ , quam ipsa omnem faciebas ?  
 Prædicent alii decora innumera , quæ retulisti à Gente  
 adeò illorum feraci & divite , ut tria jam Solia his ador-  
 naverit , neque suo quidquam ornamenti detraxerit. Lau-  
 dare ament hanc suavitatem morum cum dignitate  
 conjunctam , hanc festivitatem ingenii cum maturitate  
 sociatam , hanc vitæ totius rationem , Charitum æquè ac  
 Virtutum deductam filo , devinctam nexu , locupletatam  
 consortio , quâ factum est , ut ad demerendos Gallorum  
 animos , satis fuerit quòd animum ipsa tuum indicares.  
 Gratulentur tibi quòd Regum Filia sis & Nurus , quòd  
 Regii Principis Conjux , quòd his nominibus dignissima :  
 ego quòd suaviùs arrideat gratulabor , factam te Regalis  
 Matrem Pueri. Flos hic Liligeræ Stirpi tuo partu additus ,  
 proh ! quantùm venustatis tuo ab aspectu ducet ! quo illum  
 studio paternum ad decorem , avitum ad decus finges se-  
 dula ! quâ cautione Flosculum subduces procellis , quibus  
 infici nitor ingenuus & temerari posset ! quâ cavebis curâ ,  
 ne vel tenella Stirps titubet malè inclinata , vel Apex ante  
 diem exspatiatus temerè fluctuet ! ... Ut verò sine ullâ  
 instituentis offensione vitam exacturus videtur Puer , qui  
 hanc sine ullo parientis labore auspicatus est. Fruere hâc  
 sorte tuâ & nostrâ , atque assertam per te Regiæ Familiæ  
 felicitatem ; imò & felicitatem totius Gentis cumulatam  
 tibi gratulare ; quòd alterum dūm paulò breviùs prosequor ,  
 quæso vos , Auditores , ut quæ orationi adimetur , addatur  
 favori amplitudo.



## S E C U N D A P A R S.

**Q**UEMADMODUM homini cuique, ità cuique Populo suus inest affectus primarius ac præpotens, qui inditus à Naturâ dominatur ipsi Naturæ; à quo reliquæ propensiones ortum, vim studia, mores colorem ducunt, & quidquid boni ac mali est in Societate vel Imperio, tanquam à fonte uberrimo dimanat ac defluit. Homines alios ad summa impellit Ambitio, facinorum nobilium æque ac turpium mater & Heroas Orbi vel Prædones suscitat. Alios in suâ mediocri conditione retinet Modestia, laboris parens ac desidiæ, & Cives dat Patriæ vel adimit. Diversis diversa est, sua cuique hominum regina Propensio, virtutum magistra & vitiorum; atque illis Societatis adornatæ laudem, vel deturpatæ crimen affingit.

Gentibus pariter decus aut ignominiam, damnum aut emolumentum affert sua indoles propria; & aliis temeritatis notam cum audaciæ famâ, aliis inertiae labem cum prudentiæ laude, singulis singulare quoddam dedecoris aut gloriæ genus promeretur. Gentem Gallicam commendat suus in Reges amor, præceps idem & constans, summè obsequens, summè liber, & in maximâ eventuum dissimilitudine sui semper maximè similis: hic Gallo affectus imperat; hæret in illo Gens, quæ in aliis pluribus vix immoratur.

Felicem sanè! cui in tantâ serie Regum , quos dispar indoles sua dispari affectu dignos faceret , pauci admodùm reperti sint quos diligeret minùs , nullus quem odisset , plerique quos adeò non metueret amare nimis , ut ne illos satis quidem amari posse crederet.

Facit hic amor ut Regibus nostris quidquid pro votis , vel adversùs illa contingit ; ad gaudium aut ad luctum tota Gens hoc statim arripiat ; ut à Solio in Urbes diffundat se mœror aut lætitia Principis : populare habeatur , quodcumque Regium est ; & Unius sors sit omnium fortuna. Hinc adeò cum ostenderim quanti esset Regiæ familiæ , hæres ut ipsi nasceretur ; in antecessum probasse me arbitror , quanti Gens ducat sibi quod natus sit. Atque hoc primum est felicitatis Gallicæ pignus , Regia felicitas.

Et verò si quid procellarum reddita Pax ab Europâ non fugaverat , removit primo novelli sideris aspectu serenatus dies. Suâ quidem fortitudine providit LUDOVICUS nemo ut illum laceſſere audeat , suâ providit clementiâ , nemo ut velit : sed acerba est in Æmulis cladium recordatis , importuna est in Victis beneficiorum memoria ; & quamvis metuendi passim , imò fortè quia passim metuendi , carere non poteramus anxietate aliquâ , ne si quando successûs haſtenûs negati spes illis affulgeret , bella instaurare vellent eò vividiūs , quòd posse impunè arbitrarentur.

Verùm agite , si qui estis quos arma iterùm infeliciter movere non piget ; natus est , qui hæres avitæ fortitudinis

mus dinis esse vos cogat avitæ clementiæ memores ; & ad spretam legem beneficiorum , victoriarum jure metuendo revocet vindex non degener. Atque hoc alterum est felicitatis nostræ pignus , asserta contra hostes exterros solii firmitas.

Verendum non erat ne potestas Regni è BORBONIA GENTE in alienam transiret ; etenim quid infelicius posset contingere Galliæ , quâm si , quâ è familia Principes educi vidit , qui peregrina vocarentur ad sceptrum , in illâ jam non videret esse , cui sceptrum ipsa suum committeret ? Aderat DELPHINUS , & in illo quidem series Avorum amplissima suis conspicua virtutibus ; aderat , natus ad imperium præter cæteros , sed ad mortem velut cæteri : & id circò timebamus magis , ne plurima quæ in illo demiramur suæ Gentis Augustæ decora , cum hoc uno Nepotes nostri desiderarent . Absit ille jam & omnis alius timor : multiplici Capite stat fortuna Gallica , & stabit pluribus , quæ horum similia si fuerint , futuras æstates tam certò habemus ad felicitatem , quâm & præsentem habuimus & præteritas .

Non deerant in GENTE BORBONIDUM manus aliæ tractando ipsorum sceptro habiles , imò & pares sustinendo : quo enim tempore plures ex illâ natos Principes stare propè solium vidit Gallia , quos etiam solio digniores judicaret ; ut si deficiente , quem hæreditatis lex nobis præposuit , Rege , Rex alter suffragiorum consensione statuendus esset , sola obstatæ meritorum copia & æqualitas ; atque hinc quisque illorum

maximè eligendus probaretur , quod illorum nemo præ cæteris posset eligi. Illi autem commissam hæreditatem eò certius tuerentur , quòd prole aucti masculâ , suum sibi hæredem propè singuli gratulantur. In hac hæredum ac meritorum multitudine tolleretur omnis profectò successionis abrumpendæ timor : at ne minimam quidem hac super anxietatem natus Regi Nepos esse patitur ; & omnes diffensionum nebulas Anima hæc una removet. Tertium hoc felicitatis Gallicæ pignus est , Imperii contra domesticos motus stabilita tranquillitas.

Sensere illud Serenissimi Principes , propriaque oblii , sua Regnanti Stirpi gratulati sunt incrementa ; lætati sunt Hæredem natum solio , à quo tamen magis , illo nascente , submovebantur. Civilem alacritatem suâ ipsi gestierunt alacritate præcurrere ; nec se Principes arbitrati sunt , nisi ut Populis exemplum darent , & hoc quod dedere Populis exemplo se maximè BORBONIOS probavere. Quorum ego decora & obsequia dum intueor , effingitur animo quædam horti species , qui stratus terso & facili gramine , distinctus floribus subjectas per areas diffusis , suosque per gradus proprios crescentibus , superbit præsertim gramen & flores super eminente Lilio ; astat ipsi Lilium alterum , prognatum ab illo , jam Parenti simile , jam alterius Parens ; florent circùm alia quoque Lilia , Surculorum progenies ipsimet Stirpi non inficianda ; & suo quæque gradu cognatum ac regale ambiunt. Dominatur illud , & omni horto , quaquâ patet , diffunditur cum majestate ; extendunt se illa , &

areas plures foliorum umbrâ , propè regaliter exspatiante protegunt ; sed ita tamen , ut , quæ à Plebe florum collegerint obsequia , ad regale Liliū referant , venerentur in illo quod sublimius est ; exprimant quod germanum est ; quod magnum & optimum æmulentur.

Accedit ad hæc felicitatis ab Infante Règio nunciatæ pignora , quod ejusdem juventus Avo & Patre tutoribus exigenda sit , Avo , inquam , virilem ac maturam ætatem non adeò pridem assecuto ; Patre juveniles annos jam dum egresso , si consiliobur spectes ; si temporis rationem habeas , ingresso nuperrimè . Docebit ille stare in solio , & hoc occupando illustrare cùm se tempus dabit ; hic astare ad solium , & hoc tuendo promereri , quandiu jubebit conditio . Ita illum finget Avus , ut sit deinde nulli Regum secundus ; ita illum finget Pater , ut subditorum primum se gerat : discet ab altero sic leges dare , ut Principum nemo gloriösius imperet ; edocebitur ab altero sic leges vereri , ut Civium nemo religiosius obsequatur . Stabit novellum Sidus duo inter Sidera , & ab utroque splendorem accipiet ; à Majore vividum & effusum absque radiorum dispendio ; temperatum in Minore , & ad crescentis vires quasi laboratum ; ut rutilare primùm incipiat in vitæ quasi crespuculo , lucem deinde spargere aliquam in progressu , donec toto lumine totum quoque Orbem adimpleat .

Suas adjicet præceptiones Mater serenissima ; & quæ Fratri Principi duorum Populorum in spem jam adulto , à Rege Patre audivit iterari præcepta , ingeminabit sæpius

suisque ipsa confirmabit exemplis; ipsa, inquam, Mater; quæ in ætatis summè vividæ, in conditionis summè imperiosæ, in potestatis summè fastidiosæ gradu altissimo constituta, juventutis nihil præter elegantiam, dignitatis nihil præter nobilitatem, nihil authoritatis exhibit præter beneficentiam. Exhibit verò ita omnem, ita omnibus, ut neque quisquam sibi ab illâ deesse officium quo indiget, neque in officio quod recipit deesse aliquid conqueratur. Ab illâ ediscet Puer, ad hos descendere facile, quos sua tenuitas non patitur ad ipsum assurgere; ita tamen descendere, ut affabilitate dum placebit, non vilescat familiaritate; exigere pauca & veluti rogando; jubere parcè & quasi obsequendo; arguere parùm & tanquam laudando; jura sua moderando extendere, novumque authoritati pondus ab ipsâ facilitate obsequii comparare; ita denique gerere seipsum, ut meminerint omnes hunc imperare, sed hoc imperante servire se nemo sentiat.

His imbutus moribus qualis informabitur Princeps; cum Majestatis, Humanitatis, & Elegantiæ vocibus, suam Pietas ipsa, id est, Avia augustissima vocem addiderit. Ah! quoties Regales inter ulnas acquiescet Infans amabilis, & hospitiali gremio pretiosum pondus inhærebit! quoties humentes rore tenui ocellos exsiccat manu officiosâ; & inter vagitus pueriles hæc iterabit oracula, quæ natum inter risus, crescentem inter ludos, edoceant inter virtutes adolescere. Atque hoc novissimum est felicitatis nostræ pignus, ad illam perficiendam instituendus Puer.

Pignus dico venturæ felicitatis ! cuius jam inchoatæ pluri  
passim monumenta extruunt in Templis sociales \* Dexteræ,  
Sacramenti nexu colligant fœderatæ Animæ , Religio pro-  
nuba inscribit Altaribus ; dotata Egestas infert domibus ,  
Regalis Pietas nobilitat imperiis , Prætoriana Munificentia  
amplificat donis , Civilis Lætitia consignat epulis , juvenilis  
Alacritas circumducit choreis , Voluntas memor infigit ani-  
mis , fausta Fæcunditas transmittet ætatibus. Quantæ verò  
illud pietatis fuit , quām dignum Christianissimo Rege &  
optimo sumptus ad lætitiam utilitatis expertem designari  
solitos , vertere in utilitatem plenam lætitiae ; alteram ita  
sociare cum alterâ , ut quod placet Civibus idem sit quod  
prodest Imperio ; & ex ipsis gaudiis educantur fœnora.

Accendantur , esto quidem , ignes tremuli ac desultorii ;  
stellivomo de fomite sursùm evolent cum strepitu rutili-  
lantes flammæ ; novumque Gallicis in plagis exortum  
sidus sidera innnmera cœlestes per tractus ludentia nun-  
cient. At faces alias meliores accedit nascens Puer ,  
quas ipso altarium igne Religio imbuit & consecrat ...  
ite ergo , ite , non , ut fiebat olim , coronatæ vittis fune-  
bribus flebiles Victimæ ; sed fortunati & fasciis regalibus  
redimiti Conjuges. Capita non ferali cultro , sed sociali  
jugo supponite : manus pretendite , non ad vincula , sed  
ad fœdera. At cogitate simul suscipiendos ex his fœde-  
ribus Liberos , hinc maximè deberi ad felicitatem publi-

\* Sumptus ad Iudos solemnes designati , jubente Rege , dati sunt in  
dotem egenis sexcentis virginibus ; & impensis publicis celebratæ sunt  
totâ in urbe illarum nuptiæ.

cam, quòd erunt illius pars veluti primaria : non aliud qnidem Principi, quàm quod pendimus, exsolvent, & ipsi exsolvetis obsequium ; sed effusius propter accepta munera, arctius propter inita consortia, perennius propter mansura ejus monumenta. Quo vos ille sociavit simùl hæretis illi nexu, & quod in ipsius ortu dicitis ad invicem, ipsius imperio vos Sacramentum mancipat.

Te verò, Infans auguste, quo jam nomine compellabimus ? . . . Quod de Octaviæ filio Poetarum Princeps dixerat, Principum optimo Abavo tuo, ingeniosus olim, & Romani saporis retinens \* Orator, ascripsit in ejus natalibus, **TU MARCELLUS ERIS.** Principi similem in spem edito, cur ego illud, cur illo melius nomen ascribere dubitem! . . .

**TU LODOVICUS ERIS** . . . Tu alter ab his Regibus re ac nomine Christianissimis, qui Ecclesiam secuti ut Duceā, venerati ut Magistram, tutati ut Matrem, defendere illam suis viribus, promovere illam suis officiis, suis illam virtutibus illustravere, præcipientis cultores, impetitæ patroni, lacestítæ vindices acerrimi. Ad Te, ut ad illos, Sedes Apostolica eos mittet Legatos atque Nuncios, qui ejus dignitatem exhibeant sine fastu, ejus sanctitatem exprimant sine asperitate, atque, ut ille qui Cætum hunc nobilem præsentia illustrat suâ, utramque Gallicâ urbanitate & elegantiâ sic exornent, ut non tam Hospites in Galliam advecti, quàm in illâ nati Proceres videan-

\* Josephus Juvencius è Societate Jesu.

tur. Eos præficies Populis Pastores ; qui minùs nomine & dignitate gaudeant esse , quām esse studeant religione & moribus Ecclesiæ Principes ; qui , quales hīc adsunt , Gregem suum tueantur officiis , subsidiis adjuvent , exemplis regant , tantò eloquentiores virtutum omnium Magistri , quantò propriis virtutibus commendatores.

TU LODOICUS ERIS ... Tu alter ab his Regibus quibus suum ipsa nomen dedit Justitia ; & eos præpones judicandis Populis æstimatores rerum integerrimos , quales intueor , quorum inter manus indeflexa bilanx , numquam nisi in Virtutis partes propendeat , districtus gladius numquam nisi in Vitiorum capita decidat ; qui ad rem publicam unicè attenti , de omnibus , præter quām de seipsis benè mereri studeant , vivant aliis semper , suis raro , vix unquām sibi.

TU LODOICUS ERIS ... Tu alter ab Augustis Avo & Parente , & utroque Magistro disces , te natum Sceptro , non tenendo tantūm , sed etiam regendo ; Religiōni non colendæ duntaxat , sed & protegendæ ; Populi obsequiis , non colligendis solūm , sed simul promerendis ; Regni non propagandis Provinciis sed viribus ; Europæ omni , non vincendæ solūm cùm se dabit necessitas , sed & pacandæ statim atque sese opportunitas dederit.

TU MARCELLUS ... Imò , TU LODOICUS ERIS ... Alter ab illo BURGUNDIÆ DUCE , qui Marcello heu ! nimiūm per cuncta similis , amplissimam virtutum seriem serie dierum brevissimâ complexus est ... OSTENDERUNT TERRIS HUNC TANTUM FATA ! ... At nos orabimus

Supremum Numen , & pro suâ in hoc Imperium miseratione maximâ , exorabimus , servet ut hunc diù , per quem , statim atque illum ostendit , Terris novus ordo fatorum inductus est ; qui concessus Populo , Populum in illo sibi novum parat , & in suâ vix editus Gente , Gentis alterius est author.

Vive , Auguste Puer ; adsint tibi ludenti comites Risus , crescenti consortes Gratiæ , adolescenti Magistræ Virtutes , Paternæ & avitæ dotes adulto ; vive , & nostra tecum vigeant , quæ tecum exorta sunt , gaudia : quot vota fecimus pro te , tot habemus in te jura ; reus es sacramenti , quod diximus tibi . Vive in spem diuturnam , in potestatē seram , in Regiæ & Gallicæ Gentis felicitatem summam ; & qualem gratulamur nobis Puerum , talem te Nepotes Regem sibi gratulentur.



D IX I.

## APPROBATION DU CENSEUR ROYAL.

J 'AI lu par ordre de Monseigneur le Chancelier un Manuscrit intitulé , *Augustis Parentibus Delphino & Delphinæ Gratulatio* , & je n'y ai rien trouvé qui doive en empêcher l'impression .  
À Paris , ce 14 Décembre 1751.

JAULT.